R 29 Dec. 65.

ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Illustrissime Domine

Parentum meorum uotis lubenti animo ac pro eo quo decet filium obsequio morem gerens, uxorem duxi, Margaretam de Raymond de Modena, uirginem tum nobilitate, tum uirtutibus claram, neptem ex Carolo filio Illustrissimi domini de Modena, penes quem regnante Ludouico decimo tertio gloriosæ memoriæ principe publica de rebus status administ-ratio fuit; qui summam etiam franciæ præfecturam cum laude gessit, perfunctus clarissimis legationibus, aliisque honoribus ac dignitatibus bene multis. maximè uero Cærulea torquatorum equitum uitta notabilis et conspicuus: summam quidem lætitiam parentibus meis, nec non affinibus et amicis attulit hoc matrimonium, et incredibili congratulatione ab uniuersis fere huiusce patriæ populis laudatum et probatum fuit. Nihil tamen commodi, nihil iucundi, nihil denique decoris, familiæ nostræ obtigisse existimarem: nisi te nostræ lætitiæ participem facerem, id enim singulari qua te colo obseruantia debeo, ut omnium eorum quæ mihi accidunt

Hug 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Solivais) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/6470

certiorem te faciam, quod pro tua eximia humanitate, benigno
animo accipere ut digneris etiam atque etiam te Rogo. Sane
hoc unum velim sic habeas; nihil mihi ~~iucundius ac~~ —
optatius, ac iucundius accidere posse, quam si in hoc novo
vitæ genere occasionem aliquam, meum erga te Studium,
officiumque quoquomodo declarandi nanciscii possim; Spero
autem et opto mihi (Divina favente gratiâ) nascituros
fore liberos qui hoc Contendent: ut tibi Singularem, ac
debitam meritis tuis reverentiam tribuant, utque paterni in
te obsequii heredes, et successores observantissimi habeantur.
Illud profecto maxime Curabo eos potissimum iis moribus ac
disciplinis Institui et erudiri, in quibus et Serenissimo Principi
nostro Auriaco inservire, fidemque intactam et illibatam in iis
maxime rebus, quæ ad amplitudinem et dignitatem eius —
pertinent exhibere; tibi vero ac tuis beneficiorum quibus me
auxisti memores se præbere ac probare aliquando valeant; eaque
cum tanta sint ut nullo umquam officiorum genere æquari

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Solivais) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/6470

possint; minima saltem ex parte assequantur. Rogo te interim ut
me patremque meum Licet immerentes benevolentia tua
Complecti, nobisque favere pergas; velimque tibi persuadeas
nihil nobis umquam futurum antiquius, quam ut Constantem
erga nos voluntatem tuam perpetuae nostrae observantiae —
testimoniis promereri valeamus; omnemque operam in eo
Consumpturos, ut summum dignitatis tuae tuendae vel etiam
augendae studium nostrum perspicere et intelligere facile
possis. Vale Carpentoracti hac die 6ª novembris 1664.

Illustrissimae Dominationis tuae

Addictissimus et obsequentissimus
Servus
De Solivais

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Solivais) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/6470